

ternos habebit subditos, qui ipsum colent. 4. Parabolis, de nuptiis, *Apoc. 19, 7.* Convivio, *Matth. 8, 11.* Pascuis, *Job. 10, 9.* Regno, *Luc. 22, 29.*

4. Est verò vita æterna, gloriosissima translatio hominum, ex mera Dei gratia, propter meritum Christi, si in fide perseverent, in statum post hanc vitam beatissimum, ubi corpore & anima redunitis, Deum à facie ad faciem intuebuntur, ipsum jugiter celebrabunt, & gaudio æterno fruuntur.

5. Causa Efficiens principalis est gratia Dei, *Luc. 12, 32. Apoc. 13, 17. 18.* Dei inquam, ut sumitur pro Trinitate.

6. Meritoria est obedientia Christi mediatoris, *Act. 4, 12.*

7. Instrumentalis est fides in Christum, *Habac. 2, 4. Job. 3, 15. 16.* Janua & via ad vitam æternam est fides, ait Cyrillus.

8. Materia sunt Angeli boni, & homines finaliter pii, *Matth. 18, 10. Job. 20, 31.* Homines puta subjectivè considerati, quò totum compositum animam & corpus, *Job. 5, 38. 39.*

9. Forma est ineffabilis gloria, qua perfruuntur electi, *Esai. 36, 10. Job. 19, 26. 27.* Exulabunt ibi peccata, calamitates, adversitates, *Mich. 7, 19. Apoc. 12, 9. cap. 21, 4.* Erit ibi beatifica Dei visio, *Job. 19, 26. 27. 1. Cor. 13, 12. 1. Job. 3, 2.* Magna voluptas & lætitia, *Esai. 65, 14. cap. 66, 14.* Assidua jubilatio, *Esai. 26, 19. Cap. 65, 14.* Perfecta imaginis divinæ reparatio, *Psal. 17, 15. 1. Cor. 15, 49.* Jucunda Dei cognitio, *1. Cor. 13, 12.* Exactissima voluntatis nostræ cum lege divina conformitas, *Ephes. 5, 27.* Affectuum reformatio, *1. Cor. 13, 8.* Habebit corpus nostrum dona singularia, quia erunt spiritualia, *1. Cor. 15, 44.* Incorruptibilia, *1. Cor. 15, 43.* Robusta & sana, *1. Cor. 15, 44.* agiliora & velociora, *Esai. 40, 31.* illocalia, invisibilia, quippe gloriosa, corpori Christi conformia, *Phil. 3.* non quia *πρόσω*, sed *πρόιον*.

10. Finis principalis est Dei glorificatio, *Eph. 2, 6. 7.* Secundarius est gaudium piorum, & ab ærumnis plena liberatio, *Act. 14, 22. 2. Thess. 1, 7. 8.*

11. Adjuncta vitæ æternæ sunt tria: (1.) Tempus, anima & corpus restituentur ad invicem ad judicium novissimum, & sic gaudia percipient continua & æterna. Continua, quoniam sine ulla interruptione vigeant, *Apoc. 4. v. 8.* Æterna, quoniam nunquam deficient, *Esai. 35, 10. Job. 8, 51. cap. 17, 26.* (2.) Locus: ubi is sit æterni

S S S S S

gaudii,